



9
1768,7

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM
DE
**NEXV. FEVDALI
INTER GENTES**

QVAM
CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRAESIDE
**HENRICO GODOFREDO
SCHEIDEMANTEL**

IVRIVM DOCTORE

IN HAC ALMA SALANA ET SOCIETATI LATINAЕ QVAE IENAE
FLORET AB EPISTOLIS PRIORE FAVTORE AC PRAECEPTO-
RE SVO MAXIME DEVENERANDO

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTENS

HORA ET LOCO CONSVETO

D. XVIII. MART. A. O. R. CIOCCCLXVIII.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

LUDOVICVS HARTMANNVS RISCHMANN

BIPONTINVS

IVRIVM ET PHILOS. CVLTOR

IENAE
LITTERIS STRAVSSII
CIOCCCLXVIII



DISECRETATIO HARIS GENTILIVM

30

INTERRUGENTES

三六四〇

CONSEGRIS TELLASTRIS TECATLATIS TAVINDICAE

PRAESIDE

THE BURGESS GOODFREEDO

SCHIEDEMANTEL

VARIVM DOCTORE

THE SOCIETY FOR THE AMERICAN INDIAN.

ОДИНАДЦАТЬ ДЕКАБРЯ. ИХ СУД Я

стакановской пропаганды

TUTORIAL PRACTICE

ROTOMA

EDOICAS HARTMANNIS RICCHIANI

8471529919



DISSESSATIO
DE NEXV FEVDALI INTER GENTES

§. I.

Ratio instituti.



Dari feuda inter gentes, eo minus dubitari potest, quo magis affirmari queat, ideam gentium, notioni quam de feudo habemus, minime contradicere et monumenta rerum, quae geruntur, quaeque gesta sunt, multa, nobis suppeditare exempla, quae ipfos reges ab aliis tam regna sua, quam alias quoque res sub nexus fidelitatis accepisse, luculenter declarant. Haec omnia mecum perpendens, in mentem mihi venerunt verba illa, quibus magnus et in Iure Gentium versatissimus HGVO GROTIUS (a) sententiam meam auctoritate sua corroborat, dum de nexu feudali cogitans: talis, inquit, obligatio, sicut priuato non erat demissa ius libertatis personalis, ita nec regi aut populo ius demis suum impe-

A

impe-

imperii, quae libertas est civilis. Quae cum ita sint, pretii alicuius esse existimauit, si maiori assiduitate in feuda inter gentes inquirerem et quid iustum iniustumque hac in causa sit, dissertationi breuiter demandarem a).

a) HUGO GROTIUS de Iure Belli et Pacis libr. 1. cap. 3. §. 20. VON
REAL in der Staats-Kunst im IV. Theil p. 176.etc, VON VATTEL
Völker-Recht im I. Theil p. 31. §. 8.

§. II.

Quid gentes.

Gentes sunt personae morales nulli hominum imperio subordinatae. Quaelibet harum personarum moralium plures in se homines continent, quibus sub imperio communis copius securitatis, utilitatis et commoditatis obtainendus est, et hi omnes simul sumti constituant totum quoddam independens et liberum ratione ac voluntate praeditum, quod nomine gentis aut ciuitatis insignitur. Actiones igitur gentis, si abolute consideratur, non subordinatae sunt ad imperium alterius gentis, viuunt potius populi in statu naturali, aequalitateque morali et quidquid vni iustum, alteri iniustum dici non potest. Hinc fit, ut iuris gentium Doctores nullam aliam inter gentes absolute consideratas societatem statuerint quam vniuersalem illam et aequalem cuius membra sunt omnes homines in hac rerum vniuersitate existentes, vtque si de gentibus loquuntur, sequentes de earum iure formant propositiones: I) inter gentes non datur commune imperium hominis, II) gentes viuunt in statu libertatis naturalis ideoque et iura inter eas sunt aequalia, III) obligatae solum sunt perfecte ad omittenda quaedam non vero ad committenda, nisi aliud factum hanc obligationem perfectam effecerit, IV) actio, quae aequalitatem a natura omnibus hominibus attributam sine iure tollit, est laesio iuris gentium V)

DE NEXV FEVDALI INTER GENTES.

3

V) cessante libertate a subiectione ad alterius imperium,
cessat quoque gens.

COR. quum quaelibet gens in se considerata, habeat subiectum quod gaudet iure maiestatico, totumque populum reprezentat; a iure gentium ad ius inter imperantes qua tales recte concluditur; ita, ut ensescatur inde sequens propositio: Quidquid valet de gentibus inter se, valet quoque de earum imperantibus qua talibus, si ad se inuicem referuntur.

§. III.

Quatenus gentes obligari possint ad committenda.

Iura sunt praedicata hominum praecipua, ideoque etiam insigne praedicatum inter gentes est facultas illa moralis, aequalitate iurium innixa, quippe quae non solum ex ipsa populorum essentia prouenit sed et cum libertate omnibus gratissima quam maxime conuenit. Quis autem quaeso est, quis potentissimus, ditissimus, fortissimus, qui quotidie alterius forte minus potentioris auxilio non indigeat; quis est, inquam, qui non semper experiatur, naturam nos ita comparasse, vt vinculum sit inter eos, qui alias forsitan vires suas in propriam solum utilitatem contulissent? Idem accedit inter gentes; quidquid vni deest, alteri a natura superflue concessum et mutua indigentia mutuam quoque parit necessitatem. Sed auxilia illa saepius sunt incerta, vtque certiores de iis siamus, quod omnino prudentiae est, diversa adhibentur remedia. Metus, spes, amor et omnia, quibus hominum animi moueri possunt, pro rerum conditione impenduntur, foedera panguntur, vis infertur; omnia autem eo tendunt, vt altera ab altera iure perfecto postulare possit auxilii praestationem, vtque eatenus iura eveniant inaequalia ac noua cum gentibus praedicata combinentur.

[A 2

§. IV.

§. IV.

Continuatio.

Haec autem praedicata, quae gentibus obligationem perfectam ad auxilia alteri praestanda constituant, aut eius sunt indolis, ut ius a gente quadam acquisitum tollant, aut non; hoc in casu praedicata talia cum idea gentium combinatori possunt. Prior autem si existit, iura, quae remouentur, vel fluunt ex idea gentis, vel non; haec abesse possunt, illa vero ex idea gentium sequuntur aut absolute aut hypothetice; posterius si est, iura haecce remitti a gente queunt mutatis rerum conditionibus; quorum pertinent foedera variis generis, imprimis inaequalia inter gentes v. c. obligatio ad protectionem, aduocatiam, mundiburdum vulgo Schutzgenossenschaft, confoederationes et quae sunt plura. Prioris autem generis iura a gente minime separari poterunt, nisi forsitan ipsa gens cessare velit. Cessante enim rei essentia cessat ipsa res, quale v. c. accideret, si gens alterius sese subiicere vellet imperio.

COR. I. *Ex quibus concludi potest. I) gentes pacis sese obligare posse, ad praestandum sibi aliquid, ad faciendum, aut ad omittendum ad quod in statu absoluto non obligantur. II) Quodcumque pacium non inuolante subordinationem ad alterius imperium, illud salvo iure gentium celebrari, minime esse contradictorium inter gentes. III) Praedicatum morale, quod essentiae gentium non repugnat cum gentibus combinari posse.*

COR. II. *Foedera inter gentes inaequalia, aequalitatem moralem absolutam non tollere doctissime probat et multis illustrat exemplis HUGO GROTIUS in I. B. et P. libr. I. Cap. 3. §. 21. Si v. c. gens se obligat, ut maiestatem alterius conservare, defendere, reverentia prosequi, conuiter habere s. officia humanitatis eo faciliter praestare velit et quae sunt plura. Deinde et nostram sententiam autoritate corroborat PROCYLVIS in lege 7. §. 1. D. de cap. et Postlm. ubi; quemadmodum, inquit, clientes nostros intelligimus liberos esse, etiam si, neque auctoritate, neque dignitate, neque iure, neque vi nobis pares sunt, sic et eos qui maiestatem nostram conseruare debent, liberos esse intelligendum est.*

§. V.

§. V.

Quid feudum et quae in nexu feudali obueniunt.

Quum iura inter gentes tam aequalia quam inaequa-
lia, de mutua securitate atque auxilio constitui queant; fieri
etiam potest, vt nexus feudalis inter eos inueniatur, qui
sibi inuicem ratione imperii non sunt subordinati. Constitutus au-
tem feudum in re cuius dominium vtile sub nexu fidelitatis ali-
qui competit et requirit necessario I) dominium vtile et dire-
ctum II) fidelitatem, quae est curatione praefatio officiorum
tam humanitatis quam necessitatis tanquam perfectorum,
intuitu nexus feudalis. Qui characteres si in negotio quo-
dam simul adhibentur, constituant nexum feudalem, in quo
duae personae occurruunt. Altera est dominus, qui domi-
nio directo splendet, altera vero vasillus, quippe qui gau-
det dominio vtili. Hic habet ius non solum omnem ex
feudo vtilitatem percipiendi, sed etiam de ipsa rei feudalib[us]
substantia disponendi, quatenus haecce dispositio restricta
non est; illi vero competit ius restringendi exercitium do-
minii vtilis et ab eo postulandi fidelitatem. Vtriusque iura
tam expresse quam tacite constituta esse possunt, quatenus ni-
mirum ex idea feudi fluunt aut non fluunt a).

a) *Illustris HELLEFELD in iure feudali cap. I, a LYDEWIG in iure
clientelari sect. 2, cap. I, §. 3, fq.*

§. VI.

Obligationes Domini et vasalli.

Posito iure ponitur obligatio. Obligationes autem feu-
dales deriuantur aut ex essentia feudi aut non. Hae tam
variae esse possunt, quam diuersum est hominis arbitrium,
quod, quia ambulatorium, efficit, vt neque in omnibus
feudis pares animaduertantur obligationes, neque necessa-
rio ad nexum feudalem requirantur. Proris autem generis

obligationes vel a nexu feudali abesse possunt aut non possunt. Illae quidem plerumque ad sunt et in dubio praesumuntur v. c. Praestatio iuramenti fidelitatis, ipsius vasalli praesentia in actu inuestiturae et qu. s. pl.; sed accidente factio speciali sufferri possunt salvo nexus feudali et feuda eam tenus dicuntur impropria. Differunt autem ab his obligationes, quae posito necessariis adesse debent et quibus cessantibus feudum quoque cessat. Duplex est genus, ad quod referre eas possumus, *primo*, dominium in vile et directum dimidiatum, *deinde* fidelitatis conditio. Ratione prioris obligatus est dominus, ut vasallo feudum in utilitatem concedat sustineatque illum in quieta rei feudalis possessione, neque et ipse eum in possessione ac vsu turbet. Vasillus eadem ex ratione obligatus est, eo labore, ne feudum deterius reddat aut de ipsa feudi substantia contra legem concessionis disponat. Ex altero genere, fidelitatis nimirum, fluit, ut vasillus eo prospiciat, ne quid fiat in praeiudicium domini, sit a se ipso aut ab alio; ut damna a domino auertantur, vtque ipse vasillus ita agat, vt honor et reuerentia erga benefactorem postulat. E contraria autem parte dominus vasallo vicem reddere obstrictus est, a) et quidem non solum omittere debet ea, quae vasillum damnio afficiunt, sive vitam securitatemque sive diuitias aut honores concernant, sed etiam ad committenda obligatus est dominus, ita, ut vasillum in possessione feudi aggressum contra turbatorem defendat, machinationes aliorum contra vasillum supprimat, et omnibus iis in rebus vasallo assistat. quae tanquam media necessaria ad finem nexus feudalis obtinendum requiruntur b).

a) II. F. 1. et 6.

b) ILLVSTR. HELLFELD in I. P. feud. cap. II. §. 377. HOR-
NIVS in I. F. cap. 18. §. 21. ab EYBEN in electis cap. II.
§. 10.

COR.

G.R. Quid autem dominus vasallo extra casum feudi seruitia militaria praestare teneatur, prout KNIPSCHILDIO placuit (C) ex ideo feudi in se considerati non patet et vasallus seruitia praefstat intuitu feudi quod accepit, aut propter iuramentum fidelitatis quod praefstitit; utrumque autem ratione domini qua talis non inventur. Hoc tamen non impedit, quominus dominus vasallo speciali pacti obligatus esse queat ad mutua seruitia, si v. c. nexus ita comparatus est, ut alter alterius sit vasallus.

(C) KNIPSCHID de obligatione domini erga vasallum.

§. VII

Vasallus in se non est subditus et utriusque differentia.

Nexus feudalis in se consideratus non efficit conditio-
nem subditorum. Quidquid enim non inuoluit subordina-
tionem ad alterius imperium, illud etiam non producit ci-
tulam subiectionem; feudum autem non efficere subordinatio-
nem ad imperium, sed solum dominio directo adstringere,
tam ex idea quam de feudo habemus patet; quam experien-
tia satis suffulcitur. Differre igitur vasallum a subdito ex
sequentibus apparet, 1) vasallus ipse esse potest imperans et
huius dominus directus tam ipsius subditus quam extraneus
esse potest. 2) Feudum datur inter aequales, vterque sic
superior aut inferior. Sic Galliae Rex Ducibus Burgundiae
ob comitatum Bononiae vasallagium praefstabat, a) et Bohe-
mia dominio directo gaudet multis in statuum imperii ter-
ritoriis b) 3) fidelitas et subiectionis ciuilis sunt diversa, 4) idem
valet de dominio directo et imperio, 5) vasallus si contra
obligationem erga dominum licet dolose aut crasse egerit,
feloniam committit; subditus autem criminis laesae maiesta-
tis est reus. 7) Vasallus non plus praefstat quam per ne-
xum feudalem est constitutum; sed subditus omnia ea com-
mittere tenetur, quae tanquam media requiruntur ad obti-
nendam salutem ciuitatis 7) vasallus in iis solum caussis, quae
nexum feudale spectant, domino subeft; verum subditus
in omnibus caussis imperanti est subordinatus.

a) Vid.

- a) Vid. FROISARDVS apud FÜRSTENERIVM de iure sapientissimis
cap. 27.
b) GOLDAST de regno Bohemiae P. I. STRANSKY de republica Bo-
hem. cap. 14.

§. VIII.

Continuatio.

Porro differentia quoque animaduertitur 8) quod vas-
fallus pro dominio vtili; subditus vero etiam gratis officia
sua praefare debeat, 9) dominum directum non est pars iu-
rium malestaticorum, sed coexistere solum cum his potest,
10) instrumentum Pacis Osnabrugensis eandem ob causam in-
ter vasallum et subditum distinguit a) 11) vasallus praefat
vasallagium, immo interdum ab huius praestatione liberatur,
quia nullibi necessario iniungitur; subditus autem praefat
homagium. 12) Mortuo imperante subditi non tenentur ad
quaerendam homagii praestationem sed exspectare possunt
vsque a domino territoriali illud exigatur; sed vasallus intra
annum et diem adire debet dominum nouum, eique offere
vasallagii praestationem. 13) Subditus obligatus est, quia
in territorio existit, aut in eo emolumentis ciuibus ex rebus
publicis prouenientibus fruatur v. c. securitate personali aut
rei; verum vasallus, licet extra territorium domini directi
domicilium suum aut ipsum feudum constitutum habeat, tam-
en eius obligatio erga dominum directum permanet, 14) per-
multa adsunt exempla de feidis inter ipsos imperantes
existentibus, quae infra enumerabuntur b).

a) I. P. O. art. 5. §. 42.

b) Illustris HELLFELD in I. P. F. cap. 10. §. 326. HILDEBRAND de
Vasallagio subjectionem non inferente Lehmann kein Unterthan Alt-
torf 1721.

COR. Firant igitur illi, qui cum RODINO ex eo, quod non detur superior
inter gentes, concludunt: dominum quoque directum inter gentes non
exi-

exiflere. RODINVS forsitan verbum dominii directi in sensu grammatico sumens putauit, dominum directum esse superiorem vasallorum imperantem; hinc etiam ipse auctor gallicus LOYSEAVIVS^{*)} eum refudit et certe, magna apud Gallos differentia est inter Souverainete et suzerainete,

^{*)} LOYSEAV. des Seignuries frangoises cap. I. N. 43. 44.

§. IX.

Dari feuda inter gentes probatur a priori.

Nexus feudalis in se consideratus subiectionem ciuilem non inuoluit (§. 7-8.). Praedicatum, quod non inuoluit subiectionem ciuilem, cum idea gentis combinari potest; nexus autem feudalis in se consideratus, est tale praedicatum (§ anteced.) ideoque non inuoluit subiectionem ciuilem; neque etiam repugnat vasalli officium illi qua gentes splendent libertati. Quae propositio ex eo quoque patet, quia altera gens in alterius territorio gaudere potest iure aduocatiae, patronatus, potestatis ecclesiasticae, iure prehendendi delinquentes et sic porro; quae omnia iura, quamuis a quibusdam iuris gentium DD. seruitures appellantur, gentem tamen non ita onerant, vt alterius gentis subfit imperio ^{o).} Ex eo igitur, quod gens quaedam nexus feudali alteri adstricta sit, nil amplius sequitur quam: gentem obligationem vasalliticam in se suscepisse. Haec autem qualiscunque sit, thesi tamen nostrae minime repugnat; nam vt cum magno illo iuris gentium statore, Grotio inquam, loquar, obligationes gentis vasallae sunt aut reales aut personales. Hae spectari possunt tanquam foedera genium inaequalia, quae tamen, vii multa in Europa nostra exempla perhibent et iuris gentium Doctores vnamimenter adffirmant, aequalitatem gentium moralem intuitu iurium necessiorum non tollunt. Si vero obligationes gentis vasallae tanquam reales confiderantur, huic refertur: 1) obligatio ne feudum deterius reddatur, 2) quod casu aperturae aut feloniae alioue modo, quo ne-

IO SITI DISSERTATIO

xus feudalis tollitur, existente, feudum redeat ad alteram gentem dominium directum exercentem. Neutrum pugnat cum notione gentium; primum enim officium quoque est vniuersiusque imperantis erga subditos quoque obseruandum; alterum autem notat quidem, imperium reuocabile esse; sed aliud est ius, aliud modus illud habendi et quamdiu eiusmodi reuocationis casus non existit, tamdiu gens vasalla subiecta non est alterius gentis imperio. Insuper si gens aliquem cum territorio et maiestate infeudat, necesse est, ut simul iura maiestate annexa et cum ea necessario coniuncta, independentiam puto civilem, concedat b).

a) E. G. STRUV de dominio directo in alieno territorio. ENGELBRECHT de servitutibus iuris publici.

b) H. GROTIUS de I. B. et P. libr. 1, cap. 3. §. 23. PVEENDORP de republ. irregulari. §. 10. seq.

S. X.

Neque idea gentium repugnat naturae feudali.

Pari modo gentes inter se nexus feudali obstrictas esse, idaeae, quam de feudo habemus repugnare, nemo affirmabit. Nam primo, ius feudale ad acquisitionem feudi omnes admittit, qui habiles dici possunt; quis autem quaefo gentes inhabiles ad vasallitium obeundum nuncupet? deinde, vniuersitates et collegia fieri possunt vasalli, licet sint, personae morales; cur autem gentes hoc iure destitutas sint? postea, dantur feuda extra curtem, quorum in ipso texu feudali mentio sit diuerso in loco a) et quamvis Dd. iuris feudalis de beneficio in curte et extra curtem non omnino inter se conueniant, eorum tamen sententiae eo redeunt, vt feudum extra curtem idem significet, ac feudum extra territorium, curiam, iurisdictionem aut districtum domini directum. Si vero feudum extra territorium aut districtum domi-

DE NEXV FEVDALI INTER GRNTES.

II

domini directi constitutum esse potest, luculenter sequitur, feuda in alieno territorio existere et hoc ob paritatem rationis ad feuda inter gentes posse applicari b).

a) I. F. 2. §. 1. I. F. 4. §. 2. I. F. 18. II. F. 2. II. F. 51.

b) *Illustris HELLFELD* in I. F. §. 377. *STRUV de dominis directis in alienis territoriis.* *REHFELD de feudis in et extra curtem,* Cap. 2. *Francius in praefat. ad Struvii et Gribneri dissertationes supra allegatas.*

S. XI.

Character distinctius gentium vasallarum.

Ex his, quae haec tenus demonstrata, sufficienter patet, possibles esse gentes nexus feudali inter se coniunctas gentesque vasallas esse ciuitates quae dominium vtile territorii sui in totum aut pro parte sub nexus fidelitatis possident. Differunt autem gentes vasallae ab aliis simili nexus sibi coniunctis et quidem 1) a vasallis, qui simul homagium praefliterunt; hoc enim est iusurandum subiectionis imperanti a subdito praestandum; 2) differentia adeat ratione earum gentium, quae alterius gentis protectione securitatem quaerunt, vulgo *Schutz Voelcker*; *Schutz Genossen*. Eiusmodi gentes protectas cum gentibus vasallis in eo conuenire non nego, quod utraque aequalitate morali, libertateque gentium gaudeat, et quamvis concludi queat, protectorem esse potentiorum protecto, attamen aequalitatem moralem inter gentes tam necessariam protectione in se considerata non tollit, cuius exempla in ducatu Bullionensi, in republica Helvetiarum et principatu Monacensi inueniuntur. Nihilominus tamen differunt a gentiis vasallis; nam cessat dominium directum et vtile ac licet illae saepius dicantur vasalli, hoc tamen solum intelligendum est de sensu grammatico ab ignorantibus promiscue saepius adhibito 3) distinctae sunt a gentibus vasallis illae ciuitates, quae pacto sese ad praestandum

B 2

mu-

mutuum sibi auxilium obligarunt v. c. si foedera offensiva aut defensiva sanxerunt; nullo enim nexus ex dominio directo et vtili concipiendo sunt coniunctae. 4) Aliae sunt gentes quae pro praestandis auxiliis pensionem quandam capiunt, vulgo Subsidien Gelder vti Suecia aut Heluetia confluunt. Seruitia quidem ob pensionem praestant, sed haec pensione obligatione, quae feudo inheret, veluti restricta dispositione eiusue usufructu, non est onerata. 5) Inueniuntur etiam gentes quae tributa soluunt potentiori Zinnsbare Völker; hae autem eiusmodi obligationi sese subducentes, foedera quidem violant non vero feloniam committunt.

§. XII.

Vlterior differentia inter vasallos ex iure gentium dividicatos.

Gentes sunt ciuitates, quae tanquam totum ad totum inter se referuntur; facile igitur perspicendum est, hac in dissertatione sermonem non esse 1) de nexus feudali inter subditum vnius gentis, qui feudum contulit in eum qui alterius gentis imperio est subordinatus. 2) Si imperans quidem est altera persona feudalnis, altera vero subditus alterius imperantis; nec intelligendum hic est 3) feudum impetrii domesticum, sive tale, vbi dominus quidem et vasallus sunt imperantes, attamen feudum situm est in territorio domini directi, veluti Rex Daniae ob terram Budiacanam aut Suecia ob ducatum Pomeraniae et q. f. p.; aut 4) in territorio tertii imperantis; sed potius sermo iam iam institutus de iis feudis, vbi totae ciuitates et quatenus pro talibus haberi possunt ita inter se referuntur, vt altera habeat dominium directum in territorio alterius gentis nexus vasallitico ubi adstrictae.

§. 13.

§. XIII.

Probatio nexus feudalis inter gentes a posteriori.

Collata gentium cum feudi indole nullaque contradictione animaduersa non possum, quin concludam: possibilis esse nexus inter gentes feudalem. Nil igitur superest, quam vt videamus; an eiusmodi feuda vere inueniantur. Praeterita quidem sunt illa tempora, quibus imperantes tam potentiam suam et securitatem, quam gloriam et dignitatem ex multitudine vasallorum dijudicabant, eamque ob causam bona sua fiscalia, immo etiam integras prouincias et regna nexus fidelitatis aut dominio vtili onerabant. Scimus etiam multis imperantibus in Europa nostra rem feudalem odiosam esse a) in primis quam hodie pecunia magis in usu fit, quo ministri Principis aut exercitus accipiant unde pro dignitate sua viuere, conseruari et imperanti seruitia aulica, equestria et iudicaria praestare possint. Scimus porro in permultis regnis inualuisse et legibus publicis ibi corroboratum esse: bona domania, fiscalia vel, vti dicuntur bona coronae alienari minime posse b), attamen necessitate aut maiori vtilitate suadente aut si principiis prudentiae aulacae conuenit, fenda hodie adhuc concedi et acquiri inter gentes impossibile non est. Prudentia autem subtiliore aut nimia forsan ductus, haesitare quidam posset deque eo dubitare: an vasallagium et obligatio vasallitica dignitati gentibus tam gratae aliquid detrahatur? Sed desistat hisce dubiolis et consideret, praecedentiam inter gentes multnm quidem amari, sed ea destitutas ab aliis ideo minoris pretii non haber. Insuper gens vasalla ob nexus vasalliticum contemtui nunquam habita fuit aut praecedentiam amisit, potius eodem honore prossegueatur. Ipsam Galliam honori suo in minimis quoque inservientem faeculo praeterlapsa in tractatus pacis Cuestphalicae Landgratiatum Alsatiam et tres Episcopatus, Metensem nimirum, Tullensem et Verodunensem

sub

B 3

sub nexu fidelitatis ab Imperio Romano Germanico recognoscere voluisse et legatum Gallicum comitem Seruientium hanc rem multum vrisse, notissimum est; et hoc factum forsitan fuisse, nisi ab graues et sufficietes caussas, atque quo magis pax firmari posit et securitati publicae melius propiciatur, humanissime ei fuerit denegatum c).

a) von Real in der StaatsKuufft, p. 4. cap. 2. S. 3. §. 20.

b) Gallia in ordinatione Moulinensi Art. 2. et in ordinatione Bloisensi Art. 329. alienationem honorum coronae in perpetuum prohibuit. Vide BELLEFOREST libr VI. cap 36. Registre du Parlement de Paris de 20. Octobre 1527. Henricus quidem tertius in conuentu Bloisensi proposuebat; alienare se velle partem honorum camerallum, sed cines obstituerunt et Bodinus tunc in Consilium vocatus ciuium ex parte contra regem fleuit. Cuius rei etiam exemplum praebet Franciscus I. Vid. B A Y L E nouvelles de la Republique de lettres. September 1686. Art. 6. Iusinrandum pontificis de non amplius infestando resert SCHRADRR de feudis Pte 4. cap. 2. not 2. ROSENTHAL de feudis cap. 4. Cons. 17. et plura adhuc exempla.

c) Tobias PSANNER. in Historia P. W. libr. 7. not. 99. Instrumentum Pacis Monast. §. quo magis autem. Literae Comitis de BRIENNAE ad legatos Gallicos 17. Febr. 1646. Tom. 3. des Negotiations touchant la paix de Münster et d' Osnabr. pag. 72. et litterae Regis ad legatos de 26. April. 1646. ibidem pag. 163. et 244.

S. XIV.

Exempla feudorum inter gentes et praecipue de feudis gentis Germaniae.

Complura olim extitisse feuda inter gentes, rerum gentiarum monumentis largissime docemur et quamuis hodie raro aut omnino nunquam feendum in aliam gentem conferatur, plura tamen supersunt, quae ab antiquis temporibus ad nos peruenierunt et adhuc sub nomine feudalium territoriorum et regnorum cognita nobis sunt, prout infra patet,

tebit, et explorata. Sic, ut ab Imperio Romano Germanico primordias capiam, ignotum non est, Ottoneum Magnum Imperatorem, hastam suam victoria laureatam in lacum illum Ottonianum immittentem, regem Daniae Haraldum nexus feudali fibi subiecisse *a*). Deinde et scriptis auctoritate firmatis certiores redditii scimus, Lotharium Saxonem Magno Nielsonio Daniae Regi signa inuestitutae tradidisse *b*). Idem valet de Friderico Barbarossa, qui comitiis Martisburgi anno 1132. habitis, Petrum Suenonem gladio inuestiuit, prout ipse Angustissimus testatur in epistola ad Ottoneum Frisingensem scripta *c*); eundemque Fridericum, Waldemarum Daniae Regem actu praefentem inuestiisse, testis est Radevicus *d*); nec minus huic iuramentum fidelitatis a comite Prouinciae praestitum fuisse, ex publicis scriptis innotuit *e*).

- a) Diploma* ad anno 965. apud LINDENER. in scriptor. Septentr. p. 131.
ADAMVS BREMENS in Historia ecclesiastica libr. 2. cap. 2. apud eundem, ubi: HARALDV OTTONI subiicitur, regnumque ab eo suscitans christianitatem in DANIA recipere spondit.
- b) Annales Saxon.* ad annum 1134. HELMOLDVS libr. I. cap. 50.
- c) Epistola* Friderici ad Ottoneum Frisingensem apud VRSTISIVM in scriptoribus rerum German. pse. I. GÜNTHERVS in LIGVRINO libr. I. v. 53. OTTO FRISINGENSIS L. 2. C. 5. ubi: Petrus (Sueno) accepto ab ipsis manu regno, fidelitate et bonitudo ei obligatur.
- d) Vid.* RADEVICVS libr. I. cap. 24. DETLEF. a REVENTLEV dissert. de nexu foederum inter Imp. Rom. Germ. et Regnum Danie. Lipsiae 1735.
- e) Diploma* apud PETRVM de MARCA pag. 1323.

§. XV.

Continuatio.

His autem non subslitit imperium Rom. German. sed Rudolphus Habsburgicus Ottocarum Bohemiae Regem, obdene-

denegatam Augusto imperialis dignitatis agnitionem aliasque
comminationes, iure gentium praeuenit, vicit, sibique eum pro
more tum consueto obligatione vasallitica intuitu Moraviae
et Bohemiae ita subiecit, vt ao. 1277. Ottocarum in insula
quadam in Danubio sita inuestierit a). Quid, quod Germania
reges etiam Galliae vasallos sibi adstrictos habuerit, pa-
tet ex eo, quia Maximilianus I. memoriae indelebilis Im-
perator, Ludouico XII. ob ducatum Mediolanensem et Ticinen-
sium signa inuestiturae concessit. Qua etiam de re Galliae Rex
ministrum suum intimum, Georgium Amboisum, Cardina-
lem Rothomagensem ad Caefarem, Hagenouiae comitum im-
petui tunc celebrantem misit, vt nomine regis iusurandum
fidelitatis praestaret b)). Idem ducatus potea fauente Ca-
rolo V. ad Franciscum Sforiam sub nexus fidelitatis ab im-
perio peruererunt ac Francisco sine legitimis descendentibus
mortuo, factum est vt Carolus V. feudum illud in filium
suam Philippum II. transtulerit, et sic quoque Rex Hispaniae
imperio factus fuerit vasillus, vsque initio huius sae-
culi Caroli II. morte hi ducatus pro feudis apertis reputa-
rentur, et mutata facie in serenissimam domum Austriacam
transirent c)). Taceo, comites Hollandiae imperii fuisse va-
sallos et praetermitto reliquum numerum Feudorum Germaniae
sub nexus clientelari coniunctorum quia alii permulta
hacce de re conscripserunt d).

a) *Vid. PFEFFINGER ad Vitriar. Tom. I. p. 630. et 631. LAV-
DVM CONCORDIAE inter Rudolphum et Ottocarum apud LEIB-
NITIVM in Mantissa Cod. Iuris Gent. diplom.*

b) *HEVTEREK rerum Austriacarum libr. 7. cap. 7. Formula iuramenti
exstat apud DV Mont. in Corps Diplomatique Tom. 4. pte I. p. 60.
CONRING de finibus imperii libr. 2. cap. 23.*

c) *BOSIVS de regno Hispaniae cap. 3. §. I. GVICCIARDINVS de 18.
gno Italiae libr. 16. et 19.*

d) *Vid. DOVSA in Annal. Holland. HEDA in hisloria Ultraie. MA-
THIAS de nobilitate libr. 1. cap. 37.*

§. XVI.

Exempla feudorum Gallicorum.

Gallia ipsa, antequam regulas sui regiminis acute ex-cogitatas sequebatur, potentiamque illam formidolosam nan-ciscebatur, alias sibi gentes sub nexu feudali obstringere curabat. Nouimus nexus illum hereditario quasi iure a ve-teribus Francorum regibus ad successores translatum. Sci-mus etiam Wurtembergicum cameræ gallicæ vasallum *a*). Philippus Augustus Rex Galliae dominus erat directus Ri-chardi Angliae regis, cognomine cordis leonis insigniti, eam-que ob cauſam vasallus hic illustris exercitu suo contra bar-baros, infideles dictos, seruitia militaria domino p̄aefstabit *b*). Idem Rex Galliae Ioannem fine terra Angliae regem, va-sallum suum tanquam de nece Arturi suspeictum ad suum iudi-cium, nescio quo iure optimo, conuocat et hoc non compa-rente, citatus feloniae reus iudicatur, variisque prouinciis in Gallia ab eo possedit v. c. Normannia et Andegauia priu-a-tur. Pari modo Gallia diremit item anno 1283, inter Philippum audacem et Carolum Andegauensem Siciliae re-gem ob feuda Pietauiensia et Auueronensia coortam *c*). Huc porro taceri non posunt Lotharingiae duces, qui vasalli erant comitum in Campania, et per quadraginta dies quot-an-nis p̄aefstare debebant seruitia vasallitica. Gallia tandem multis in rebus ingeniosa, rarum nobis nexus vasallitici inter principes exemplum praebet, dum Humbertus Delphi-nus Auueronii cum Simone Sabaudiae comite ita paciscitur, vt alter alterius sit vasallus *d*). Ipsam vero Galliam ob co-mitatum Bononensem Burgundiae ducibus fidelitatem iurasse, testis est Froissardus *e*).

a) LÜNIG in Corp. Iur. fend.

b) RIGORDVS ad annum 1183. ubi: Rex Francorum Philippus Augu-stus Richardum regem Angliae quasi hominem suum communio-nit, ut, hec iurauerat, mare cum eo transtres.

C

§. XVII.

c) *Gesta Philippi III. audaci dicti per Guilielmum de NANGIACO, apud du CHESNE in historia Franc. Scriptor. Tom. 5.*

d) *ALBERTVS ESTRADVRGENSIS in Chron.*

e) *FROISSARDVS in MSPTO ap. FVRSTENERIVM de iure Supre-
matus cap. 27.*

§. XVII

Nec minus Angliae feuda.

Anglia iam olim non ultimum locum inter reges Europae nostrae obtinens, pro illorum temporum consuetudine exteriores suos quoque habebat vasallos, quos autem fere omnes feudis de Camera inuestitos fuissent ex lequentibus apparebant. Sic Comes Sabauidiae ab Angliae rege 200 marcas argenteas in feudum accepit a) et Henrico I. Angliae Rex ob multa bella quae contra fratrem Robertum et Ludouicum Crassum Galliae regem gerebat, statuumque perfidia ductus, exterorum vasallorum auxilio nitebatur et inter alios etiam Robertum Flandriae comitem ita sibi conciliare studebat, ut pro 400 marcarum argentearum summa quotannis soluenda 500 milites praestaret b). Guilielmus Comes Hollandiae quoque pro annua pensione 400 marcarum Ioannis sine terra Angliae regis, ob bella huius cum Philippo Augusto Galliae regelgesta, anno 1213 dominium directum agnouit; quod et fecerunt Flandriae comites qui eodem modo Angliae regi adstricti erant, praeterquam quod pro 30 marcis argenteis quotannis decem milites mitterent c).

a) *RYMER in actis publ. Anglican. Tom. I. p. 125.*

b) *Diploma vide apud RYMER loc. cit. Ibidem p. 4. perhibetur praefatio 1000 milium pro feudo 400 marcarum quotannis praefundarum*

c) *RYMER loc. cit. p. 169 et 27.*

§. XVIII.

§. XVIII.

De feudis Hispanicis.

Hispania a Germanorum populis in usu feudorum non adeo edocta et innurita, diuersa tamen nobis exempla hoc facientia praebet, ex quibus breuitatis caussa quaedam solum huc retulisse sufficiet. Iacobus I. expugnatoris nomine notus insulis Balearicis potitus, regna sua inter filios suos Petrum et Iacobum postea ira diuisiit, ut filio suo secundogenito insulas Maiorcam, Minorcam; comitatum Rosinonensem et Cardaniensem tanquam feuda Arragonica cederet a). Deinde et Philippum II. in Italia vasallum ligium habuisse, infra luculenter adparebit

a) Vid. Bernb. Gomes. MIEDIS de vita et rebus gestis Iacobi I. Aragoniae regis Tom. 3.

§. XIX.

Exempla feudorum Poloniae.

Quatenus subordinatio ad unius imperium absolutum inuisum est gentibus quibusdam, eatenus Polonia Germanos multis in rebus imitata est, ideoque ut hodie ita et olim Poloniam suos habuisse vasallos, tenuis est Dlugoffus a). Mentionem facit hic auctor, ducus cuiusdam Suantaboris, unius ex veteribus Polonorum vasallis, quem Pommerani tunc barbari et Poloniae quam maxime insidiosi in diffidatione captum tenebant, hunc autem Boleslao III. Poloniae duce in auxilium vocato, fuisse liberatum, simul significatum legimus. Sed quorsum anxie quaeramus exempla; nonne Borussia fuit feudum Polonicum; nonne ultimus ordinis Teutonici in Borussia magister, Albertus innata generi suo fortitudine, Sigismundum I. magnum illum et dignissimum qui Caroli V. et Francisci I. tempore viueret, Poloniae regem eo

perduxit, ut anno 1525. Cracoviae cum magna Borussiae parte tanquam saeculari ducatu publice inuestigetur b).

a) DLVGOSVS in *bistoria Polonica* p. m. 355. seq.

b) Inuestitus est Albertus per vexillum album nigro aquilone notatum in cuius pectore littera S. picta erat. Frater eius Georgius marechio Brandenburgicus hic assistens vexillumque attingens simul cum eo inuestigatus fuit. En quoque simultaneam inter gentes inuestigatur! Vid. NEVGBAVER in *Historia Regn. Polonici* libr. 7. HARTKNOCH. *Prensische Historie* Pte 2, cap. 2. SCHÜTZ *Historia Regni Borussiae* libr. 10.

§. XX.

De feudis Papalibus.

Intelligimus hic sub Pontifice Romano, principem Italicum saecularum, nulli hominum imperio subiectum. Quamuis enim saepius sub praetextu superioritatis in ecclesia et, si diis placet, in hoc tota rerum vniuersitate, magna sibi iura arrogauerit; hoc tamen diu et ab ipsis Catholicis sufficienter est explosum et hodie secundum saniora politiae praecepta, imperium Romano Germanicum, Hispanos, Lusitanos et imprimis Galliam in pontificis indiuinduo distinguere deprehendinuus duo personas, quarum altera consilit in summo ecclesiae et concilii vniuersalis vicariatu, altera vero in principe Italiae seculari. Illo in respectu nulla habet iura in res politicas, quia regnum Seruatoris nostri saeculare non est, prout ipse dixit; secundum alteram vero personam et quia posito hoc subiecto, hoc etiam et non aliud ponitur praedicatum, in territorio alieno nullum directorium, nedum imperium quoddam sine laesione alterius gentis huius possessoris exercere potest. Praeterimus hoc in loco conatus illos, quibus omnia sibi regna subiecta reddere aut sub nexus vasallitico adstringere tendebat pontifex. Omittimus Hadriani insolentiam erga Friedericum a); tacemus infa-

insanam illam sententiam de Papa Imperatorum Romanorum domino directo; praeteruehimus tandem ea, quae sanctissimus pater in Lusitaniam tentauerit eo tempore, vbi Cardinalis Henricus mortuus erat, praeteruehimus illa multo cum iure, eoque magis, quia omnia haecce nugis simulationibus mendaciisque nituntur et plenissime reiecta sunt a multis auctoribus b).

a) RADEVICVS loc. cit. libr. I. cap. 8. et seq. vbi conatus papales nomine beneficij sufficienter declarabantur, et quid quæsto? nisi Friedericus omnibus viribus obstitisset? SCHATEN in Annalibus Paderbornensis libr. 8. p. 778.

b) Vid. LVCAS de LINDA in descript. orbis p. 527. Can. 33. dist. 63. GOLDAST in constitut. imperial. p. cet. 221. FFEFFINGER in notis ad VITRIARIVM libr. I. Tit. 8. CVIACIVS ad Tit. 7. libr. 2. F. 1 TTER de feudis imperii cap. 6. §. 3. in fine.

§. XXI.

Continuatio.

Attamen pontifex vere suos habuit vasculos reges ipsos et principes, quippe qui ob iniuriam temporis regna aut partem regnum suorum sub nexu fidelitatis sine contradictione ab eo recognouerunt. Accidit illud Ioanni Angliae regi qui partim perfidia episcoporum suorum, pertim Philippo Galliciae rege suppressus, Pandulpho Innocentii III. legato regna sua in feudum ligium obrulit et ab hoc nomine Pontificis investiebatur a). Nouimus Reginaldum a 1219. insulam Mans dictam Honorio obtulisse eidemque annum censem duodecim marcarum in festo purificationes Mariae praestendarum promisso b). Scimus porro, quod aliquo modo referre huc possumus, imperatorem Henricum II, episcopatus Bambergensis fundatorem pontifici Romano hunc episcopatum ob singulare tutamen in feudum oblatum dedisse, et episcopum intuitu huius beneficii quotannis equum album

C 3

et

et phaleratum cum 50 marcis argenteis domino directo praefitisse c). Reliqua pontificis feuda referuntur a Schoppio et Luc. a Linda d).

a) RADVLPHVS de DICE TO Abbreviationes Chronicorum et imaginis blfloriarum, in collect. Twysden, collect. 429.

b) LEIBENIZ in Codice iuris gentium diplomatico in Prodromo p. 5.

c) MARTII Codex Vdalici Bambergensis apud ECCARDVM in Scriptor. medi. aevi. Tom. 2. p. 63. LEO OSTIENSIS libr. 2. cap. 24. HOFMANN in vita sancti Henrici apud LVDEWIG Tom. I. Script. Bambergens. p. 54. et 305.

d) SCHOPPIVS in thesauro iuris feudali, LVCAS de LINDA in descript. orbis.

§. XXII.

An dentur hodie feuda inter gentes.

Maiorem merentur attentionem feuda hodierna, quae quamvis exosa sit feudorum nouorum institutio, et gentes hoc ex nexu sufficiemt ac certam securitatem redundare non amplius credant a): tamen ab antiquis temporibus territoria ad nos peruererunt quae sub dominii vtilis conditio ne ab imperantibus possidentur. Praetermitto Mediolanensem ducatum, Sabaudiam, Mantuam, totque vasallos, quos imperium R. G. in Italia habet, quiq; sensim pedetentim que mutata aliquali modo facie gentibus magis sese similes quam subditis imperii nostri effecerunt. Nec multa edis serenda sunt, de Chanis Tartarorum, qui diuersis in rebus cum gentibus vasallis comparari videntur. Taceo insuper Daniam intuitu terrae Budia dingicæ Brunswicorum vasallam, neque referam multitudinem feudorum, quorum dominium directum Bohemiae a Germanorum quorundam territoriis agnoscitur, omitto haecce, quoniam partim non omnes plena gaudent libertate, neque tanquam gentes ad gentes et totum ad totum inter se referri possunt, partim, quia

quia praestantissimi auctores de his multa memoriae scriptis-
que prodiderunt, ususque hac de re lucubrationes in-
signiter nobis demandarunt b). Adferenda potius mihi
erunt exempla illorum feudorum, quorum domini et va-
falli a quoconque pro gentibus reputantur, quosum impi-
mis pertinent Maltha, et Neapolis, de quibus breuiter edif-
seramus.

a) *Huius rei rationem egregie docet Freyherr von BIELEFELD in der StaatsKunst Tom. 2. cap. 4. §. 13.* *Causa verba acute et multa cum prudentia haces de re adata, quia gallica editio ad manus mibi non est, germanice hoc reservare licet: Denn, inquit, so bald der Lehnsherr keine GeldEinkünfte, keine Hülfe, noch wirkliche Dienste von seinem Lehnsmann zieht, und er im Fall einer Felonie nicht flück genug ist, ihn aus den Besitzes des Lebns zu setzen oder ihm die Wirkungen der im Lehnrecht gesetzten Strafen empfinden zu lassen: So ist es klar, daß solches ein führ eingebildetes und oft gefährliches Vorrecht ist, einen Vasallen haben, der mächtiger ist als man selbst. Die Erhaltung eines solchen Lebns wird dem Lehnsherrn zur Last, ohne daß er einen wirklichen Vortheil davon hat; Die meisten dieser großen Lebnen sind zu Arten von Wortspielen geworden, und ihre Wirkungen liefern auf lächerliche Wortspiele binaus.*

b) *ITTER de feudis Imperii l. c.*

§. XXIII.

Neapolis feudum est Romani pontificis.

De dominio directo pontificis in regno Neapolitano co-
gitans, in mentem mihi veniunt verba Machiauelli sequen-
tia: *E così, inquit: pontifici hora per ebarità della religio-
ne, hora per lora propria ambitione, non cessauano di chia-
mare in Italia buonini nuovi e suscitare nuove guerre et
poi ch'egli havevano fatto potente un principe, sene pentiu-
no e cereavano la sua rovina ne permettevano, che quella
provincia la quale per loro debolezza non potevano possedere
che altri la possedesse a).* Haec verba Machiauelli, an-
dici

dici queant nostro de feudo, videbimus. Robertus Guiscardus Normannorum Dux Siciliam occupans Nicolao secundo hanc Barbarorum vicinitatem indigne ferenti terram imprimis Neapolitanum in feudum obtulit, eoque modo iram pontificis non solum deliniuit sed etiam protectorem fibi eum effecit b). Tempore Lotharii II. Reginaldus, seu ut ab aliis nominatur, Rogerius de ducatu Apuliae ab imperatore et papa simul inuestiebatur c), postea iniura temporis pontifici soli hoc dominium directum concessit, et hic nefario modo de re tertii paciscaens, Carolo Andegauensi Neapolim donavit in praeiudicium Gibellinorum d). Deinde ad Aragonenses peruentum est hoc feudum et non multo post Caroli II. Hispaniae regis mortem dissidiisque finitis, Serenissimae domini Austriacae cessit regnum Neapolitanum, hodie vero quum anno 1734. Hispani ex improviso haec regna inuaderent et Comes Traunius, exercitu Austriaco praefectus, hoc negotio solus honorem consequeretur, familiae regum Hispaniae quasi cohaeret, quamvis sub moderamine proprii regis innoteat.

a) MACHIAVELLVS in Hist. Florent. libr. I. p. m. 23.

b) PANDVLPHVS COLLENVTIVS in Hist. Neap. libr. 3. p. 33.

c) OTTO FRISINGENSIS in Chronico libr. 7. cap. 20. vbi pactum legimus inter Lotharium et Papam, ut in conferendo duci vexillo vterque manum addiberet.

d) MACHIAVELLVS l. c. vbi pactum inter Carolum et Papam extat.

§. XXIII.

Continuatio.

Neapolitanum regnum ab omnibus gentibus et impensis iis, quarum interest, pro feudo papali haberi, partim ex eo patet; quoniam quotannis die proximo ante festum Sancti Petri, legatus regis Siciliarum equum phaleratum, vulgo Zelter, pontifici Romano in recognitionem feudalem solemni-

Iennauer affert; partim etiam probari hoc potest ex rerum gestarum monumentis. Optimum exemplum hoc pertinens petendum est a litibus post mortem Caroli II. Hispaniae regis, de Neapoli inter serenissimam domum Austriacam et Bourboniam ortis. Carolo II. mortuo Philippus V. legationem sollemnem cum testamento dicti Caroli Romanam mittens et inuestituram petens, illam quoque obtinebat. Leopoldus quidem Imperator, sedem Romanam hac de re adiens, recognouit Neapolim tanquam feudum a Pontifice acceptandum; sed inuestituram nondum conseqebaratur, forsan, quia in singulari epistola, ad Pontificem Romanum directa, declarauit: summan 50000 florenorum, in paecto cum Carolo Andegauensi olim constitutam et a regibus Neapolitanis intruitu feudi praefstandam Carolo V. fuisse remissam a). Meliori postea fortuna domus Austriaca de Neapoli inuestiebatur, quia Augustissimus Carolus VI. legitimo foedere dominium utile in regna Neapolitana naectus erat. Tandem vero Carolo VI. sine iure et ex improviso feudo hocce ab Hispanis ablato curia Romana ambigebat, a quonam inter hos competentes equum phaleratum accipere vellet. Europa auscultans diem proximam ante S. Petri festum curiosius exspectabat. Venit illa dies, legatus Austriacus praestationem feudalem offert et Camera Apostolica non contradicente Austria in possessione vel quasi conferuatur. Quo autem Hispania comiter haberetur, Sanctissimus Pater permisit, vt legatus Hispanicus protestationem opponeret utque tradiceretur de laudemii praestatione scripta confessio. Non multo post et quum coecuturiente fortuna Hispanorum armas feliciora euaderent, pontifex acceptationem equi feudalis utriusque denegauit, utque finito tractatu Viennensi de 1738 Carolus Neapolitanorum Rex publice agnosceretur et commissarius Romanus praestationem feudalem a Rege Siciliarum postularet; quod et postea factum est et adhuc reiteratur.

D

Vid.

a) Vid. OBERECHTVS in stricturis ad hanc epistolam.

§. XXV.

An hodie Rex vtriusque Siciliane Iesuitas exulando feloniae reus sit.

Dum haec scribebam, Serenissimus vtriusque Siciliae Rex, societatis quae Loiolae nomen dat, patres, saeculi nostri pro more murato, exulat, sanctissimo Patri, quippe cuius praecipui erant in alienis territoriis praetoriani, illos reddit regulasque prudentiae ciuilis limitoris invita, Iesuitarum astuta, sequitur. At quid Pontifex? Vehementer hacc de re afflctus, fulmine quidem banni non vti antea percutit, sed potius legatos extraneos de tristitia sua certiores reddit, scriptoque publico contra Regem procedit, quo inter alias querelas, ius gentium hoc factō violatum esse, demonstrare nititur. Quae omnia si ita seſe haberent, et probarentur, quaerere quis posset: an Rex, vtriusque Siciliae hacc transmissione Iesuitarum feloniam commiserit? Superflua haec videri possit disquisitio, quia ipſe pontifex nullam feloniac mentionem facit in publicis querimonij supra allatis, et profecto miratus fuit, cur huius rei allegationem, quae magni sane momenti et bene fundata foret, si iuris gentium laefio antecesserit, omittens tacuerit Pontifex, raro minimam cauſam sibi forte opportunam obliuiscens. Sed memini, me apud Bielefeldium legere rationem huius bene prospectam et sufficientem a).

a) Vid. Freyberg von BIELEFELD l. c. Tom. 2. cap. 4. §. 13.
in fine.

§. XXVI.

Rationes dubitandi et decidendi.

Minime quidem negare ausim, iura gentium violari, si extraneus imperans magnam ciuium suorum multitudinem, fine

sine praeuia hac de re certioratione, nostraque permissione accessa, territorio nostro immitit, atque eiusmodi factum, si gentes nexus feudali inter se coniunctae sunt, feloniam redolere. Nihilominus tamen vtriusque Siciliae regem contra obligationem suam feudalem nequaquam egisse, multo cum iure statuendum esse existimo. Pontifex enim dicto huic regi maiestatem quidem in feudum concessit; sed hoc facto omnia iura, quae maiestati inherent et annexa dicuntur, simul huic collata esse, eo minus dubitandum est, quo magis iura maiestatica, tot iura sanctissima, in utilitatem reipublicae exercenda sunt. Quis autem nostris temporibus negabit, societatis Iesu patres cuitatibus, immo ipsis Imperantibus periculosissimos saepius exstisisse, Principes eorumque imperium capitali et clandestino odio prosequutos fuisse, vitae Regum infidias struxisse, subditos commouisse eorumque animos ab actionibus reipublicae debitis detraxisse. Quoniam vero imperantibus incumbit, securitati et commodo rei publicae, quantum fieri potest inuigilare, iure meritoque factum est, ut eiicerentur patres illi, et simulac pontifex Romanus, Neapolitanorum Regi maiestatem in feudum concessit, tacite etiam et antecedenter Iesuitarum probauit expulsionem. Qui enim, vti Philosophi loquuntur, concedit vnum connexorum, alterum simul concedat necesse est. Neque obstat argumentum ex eo petitum, quod territorium pontificis ex improuisa multitudine damno adficiatur; nam filii sanctissimi patris bene morati, hunc tanto studio semper prosequuti sunt, vt ne minimum quidem inde periculum territorio pontificis immineat. Huc accedit, Papam dictos Iesuitas pro magno beneficio Imperantibus Europae catholicis concessio saepius reputasse; sed beneficia, si nobis inutilia et periculosa eveniunt, sine laesione quoque reddi possunt ei qui conferebat.

§. XXVII.

An Sicilia sit feudum,

Siciliam esse feudum, sedis Apostolicae dominio directo subiectum, a curia Romana valde vehementerque, immo quotannis defenditur; sed hoc fortissime negat rex vtriusque Siciliae. Hinc fit, ut huius regis legatus, Pontifici equum Phaleratum intuitu regni Neapolitani offerens, oratione sua solemniter mentionem solum faciat regni Neapolitani, camera autem Apostolica contra omissem huius territorii in feudum petitionem plerumque magnam interponat protestationem. Pontificis autem iura in Sicilia fundata non esse ex sequentibus apparebit. Primo superioritatem in Siciliam ecclesiae Romanae unquam competuisse, probari non potest, neque secundo patet, originetenus hoc in regno a Pontifice adquisitum esse dominium directum; minime enim constat de concessione aut de oblatione legitime ei facta, deinde omnes legitimis Siciliae possessores sedem Romanam tanquam dominum directum non agnouerunt, immo semper contradixerunt. Porro, casus, qui afferuntur a scriptoribus Pontifici deditis, quod nempe camera Apostolica reges quosdam intuitu Siciliae inuestierit, nil probant, nisi quod usurpator aut alius iniustus adquires potius ius non habuerit, quam voluntatem Pontificis auarissimam, ex eaque omne ius suum petierit, ut sciponm suum eo facilius obtineret. Tandem, quidam reges iniuria temporis coacti fuerunt, ut Papam agnoscerent, sed cessante coactione contradixerunt et quae sunt plura huius rei argumenta a).

a) *Vid. du pin defens. de la Monarch. de Sicile contre les Papes.*
Paris 1716, cap. 16.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Maltha et Gozea sunt feuda regni Siciliae.

Maltha et Gozea, insulæ illæ minores, a Carthaginibus, Romanis, Hunnis, Saracenisque possessæ, a Rogerio Sicilie comite occupabantur et postea a Tunetanis arreptae, tandem Caroli V. victoriae subiungebantur a). His autem insulas hasce ordini equitum. S. Ioannis f. Rhodensium anno 1529 largiebatur tanquam feudum a nullo superiore, nisi dominio directo regni Siciliae, dependens. Conditiones sub quibus concessum est hoc feudum, in eo positae sunt 1) Magister ordinis nulli potestati supremæ sit subiectus, potius omnia in incolas exercere potest iura maiestatica. 2) Feudum sit francum, nobile et purum, attamen 3) laudemium, quod in falcone consistit, praestare debeat tanquam canonem in recognitionem dominii directi a Sicilia consequuti, 4) Renouatio iesustitutæ instituenda sit si novus magister ordinis sit electus. 5) Nemini contra prouincias Siciliae aut incolas eius assistant equites 6) Defendere potius debeat Siciliam contra infideles et 7) episcopatus Melitensis regis Siciliae subsit iuri Patronatus b).

a) Vid. BVRCHARDVS NIEDERSTEDIVS *Maltha vetus et nova, Helmst.* 1660.

b) HIERONYMVS MEGISERVVS *deliciae ordinum Equestrium.* Lipsiae 1617.

§. XXVIII.

De Curonia et Semigallia.

Felckershamius Curoniae Cancellarius, tractatibus pacis Oliuensis quum interesset, ab instigatore regni Poloniae quaerebatur: qualis nexus esset inter Poliam et Curoniæ? a) Miratus profecto, huius ministri publici ignorantiam, idque eo magis, quia tunc utilitas et interesse reipublicæ

blicae Polonorum multum agitabatur, breuiter hoc de nexu inter Poloniā et Curoniā edifferendum esse existimau. Curonia et Semigallia tanquam liberae et cum Germania aliqui modo coniunctae ciuitates, a Magistris Teutonici ordinis regebantur, sed hi a Russis, tempore imprimis Ioannis Basiliī, agitati atque a Germania, infelici omne, neglecti, reipublicae Polonorum territoria sua in feudum securitatis cauſa obtulerunt. b) Itaque ultimus ordinis Magister, Got-hardus Kettlerus, parte sua Liuoniae Polonis cessa, Curoniā et Semigalliam anno 1561, a Sigismundo tanquam feudum accepit, quod intuitu territorii oblatum, intuitu vero dignitatis ducalis, quam Sigismundus Poloniae rex addebat, collatum appellare liceat. Foedera hac de re Villnae inita, pata subiectionis dicebantur et sequentia in se continebant: 1) Kettlerus pro se et omnibus descendantibus masculis splendeant superioritate his in feudis territoriali et omnia simul retineant iura maiestatica, quae Magistri ordinis antehac in Curonia exercebant. 2) Tempore belli certum militum numerum praestent. 3) Iuramentum fidelitatis regi Polonorum iurent. 4) Adiiciebatur simul dura conditio de iure appellandi a Duce ad iudicia Poloniae suprema, si lis magna oriretur, quae nobiles Cutoniae concerneret, attamen 5) in cauſis religionis nulla prorsus valeret appellatio.

a) *Illiſtris BOEHMIUS in praefantissimo opere, cuius titulus: Acta Pacis Oliuenſis Tom. 2. p. 553.*

b) *Carol. Aem. KETTLER, diſſertat. de adquisito et amissō Imp. Rom. Germ. in Liuoniam iure ſub Praef. BOECLERI, habita Argent. 1710. CASPAR VON CEVMERN in Theatrid. Liuoniae, vbi diplomata buc facientia inueniuntur.*

§. XXX.

Continuatio.

Nil igitur de recadentia in caſu aperturae his in patiis expreſſe ordinatum erat, ideoque proceres Curoniae terri-

territorium suum pro tali feudo reputabant; quod in perpetuum a republica Polonorum pleno iure independens existeter, quodque extincta gente Kettleriana, statibus huius ducatus ius alium ducem eligendi competenter. Sed comitia Polonica anno 1589. habita decernebant, quod in casu decessorum Kettleri descendéntium habilium, Curonia et Semigallia cum regno Poloniae coniungerentur atque in districtus diuinae a Woywodis gubernarentur. Hoc autem a statibus Curoniae nunquam agnatum fuisse perhibetur. a) Accidit tandem casus ille, quo probabile erat, quod cum Ferdinando familia illustris Kettlerianorum extingueretur; sed status Curoniae 1726 iure suo, prout putabant, vtenes, eligebant Mauritium Saxoniae comitem, eique spem succedendi decernentes, ius suum strenue exercebant, in primis, quum Augusti II. regis Poloniae auxiliis freti, contradictionem comitiorum rei publicae Polonicae a. 1729 habitorum, non nimium facerent b). Sed Russia hacce de re non aequa contenta et Augusto II. moriente, mutata est rerum Poloniae publicarum facies; electio Mauritiis irrita declarabatur et in comitius Pacificationis Warsouiae a. 1736 habitis constituebatur: Curoniā mortuo Ferdinando alium quidem eligere posse ducem, sed hunc electum pro se et suis heredibus legitimis a Polonia esse inuestiendum c).

a) PASTORII *historia Polonina plenior.* P. II. L. 10.

b) *Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. par PARTHENAY à la Haye 1733.*

c) *Constitutiones comitiorum pacificationis extraord. quae Dresdae editas.*

S. XXXI.

Continuatio ulterior.

Factum hoc est non multo post et Ferdinandus a 1737 sine descendéntibus habiliis mortuo, Ioannes Ernestus Bironius, suadente

dente Russiae ligebatur. Conditiones luc facientes et leges quibus dux territorium consequebatur praecipuae sunt sequentes: 1) Curonia et Semigallia eodem modo a novo duce regnandae sunt, ut factum est a Kettlerianis, ideoque in Bironium omnia illorum iura transferuntur. 2) Dux nouiter electus Vasallus sit Polonorum et alii genti territorium suum non subiicit 3) in casu belli Polonici dux seruitia vasallitica praefest 200 equitibus et 500 pedestribus. 4) Dux Curoniae nemini indigenatum concedat, sed petentem ad Comitiam Polonica remittat. Quo facto Cancellarius Curoniae, Finckius anno 1739. nomine ducis, Warsouiae solenniter inuestiebatur *a)*; sed varia fortuna suppressus et relevatus Bironiis anno 1740. captivitate oppressus prohibere non poterat, quominus Ludouicus Ernestus Guelpherytanus Princeps et postea Serenissimus Carolus, Augusti III. b. m. regis Poloniae, filius eligeretur, ipsamque consequeretur inuestituram. Atramen feliciori omnime libertate donatus, ex iure postliminii ducatum suum denuo occupabat Ernestus Birnius.

*a) Io. Iac. SCHMIDT, Einleitung zu der Staats-Wissenschaft T. II.
Lipſ. 1747.*

§. XXXII.

An Curonia sit feudum inter gentes.

Haec omnia a me adducta sunt, ut responderi queat ad quaestionem: an Curonia feudum inter gentes sit nunquamcupanda? Hoc certissimum est, ducatum illum septentrionalem, esse feudum reipublicae Polonorum non incorporatum, sed propriis uti legibus, et multum distingui inter Polonum et Curonum. Tota igitur huius rei decilio ab eo dependet, ut disquiramus: an Curonia in relatione ad Poloniam gentis nomine veniat. Videamus igitur parte ab utraque militantes

tantes rationes et quidem primo affirmatiuas, quae imprimis in eo nituntur. 1) Quia Curoniae ducatus constituit totum quoddam a reliquis Poloniae prouinciis separatum. 2) Vasallagii praefatio in se considerata non involuit subordinationem ad alterius imperium. 3) In ipso foedere cum Kettlero percutto Polonia huic relinquit superioritatem et quidem expressis verbis legimus ibi nomen superioritatis (Suueranitatis). 4) Bironius Dux in omnia Kettleri iura fuc-cessit. Attamen in contrarium etiam allegari possunt ratio-nes praeognantes, quae negatiuam sententiam suadent; nam 1) nobilis Curoniae a iudicio summi tribunalis Curonicis grauatus, ad Poloniae regem adpellare potest, si causa summa florenorum excedat. 2) Foedus illud inter Cu-roniam et Poloniā insignitur nomine pactorum subiectio-nis. 3) Ipse Curoniae dux a statibus suis conueniri potest coram rege Poloniae, vti anno praeterito, iastigentibus qui-busdam nobilibus, res controuersa ad iudicium relationum allata erat, quae et adhuc ibi non plene decisā haeret. Tan-dem 4) Curonia cofoederatiōni dissidentium Polonorum 1767. contractae sese associoauit, quippe quod fieri non po-tuissēt, nisi sint subditi Polonorum et quae sunt plura argū-menta. Quibus ex rationibus iuxta se positis luculenter patet, Curoniā quidem constituere partem a reliquis Po-loniae territoriis separatam et propriis vii iuribus, ita, vt Polonorum res publica eiusque prōceres suo pro lubitu hoc de ducatu disponere nequeant; Curoniā vero in relatio-ne ad Poloniā esse feudum inter gentes, vix adfirmare ple-narie anīm, quia appellationis iura ex altera parte suppon-nunt subiectiōnem ex altera autem imperium quoddam, li-cket restrictum. Sed cessante plenaria libertate a subordi-na-tione ad alterius imperium, cessat quoque gentium idea et id, quod ex hac concluditur a).

a) Verum est, in partis subiectiōnis multum hodi nominibus fibi iniucem
contradicentiibus, nimis superiōritate et subiectiōne;
E sed

*sed si sub superioritate intelligimus, statum imperantis nullius imperio
subiecti, non possumus, quin allegato in pacto, improprie et in sensu
minus pleno sumendam esse superioritatem statuamus.*

S. XXXIII.

An dentur feuda ligia inter gentes.

Demonstrata feudorum inter gentes veritate et existentia, inquirendum adhuc est: an etiam gens nexus feudali ligio alteri genti possit esse obstricta? Ligi autem sunt vasalli, qui obligantur ad fidelitatem et seruitia militaria contra omnes domini hostes, nemine excepto, praestanda *a*). Eiusmodi igitur vasalli maiori obligatione tenentur quam alii, ideoque Choppinio *b*) aliisque visum est: nulla inter gentes feuda ligia existere posse, nisi libertas gentium qua talium tolleretur, imprimis quia ligius Italico idiomate significet *omnemode subiectum*. Sed acute errat Gallicus ille auctor, quia nomen ligii deriuandum potius est a Germanorum adiectiuo *ledig*, i.e. ab omni alia obligatione liberatus, aut vii alii volunt, a latinorum *ligare*, quippe quod hominem domino alligatum significat, et posito significatu Italico, quem Choppinius afferit, tamen in scientiis iuridicis non definitorum significatus sed eorum sensus attenditur, neque pro arbitrio deriuatio fieri potest, immo maxima pars iureconsultorum et legum feudalium in eo conuenit *c*): ligium esse vasallum strictiori vinculo domino suo alligatum; talem qui aliis dominis obligatus non est et indeterminatum iusurandum fidelitatis, non vero subjectionis homagium praestat *d*). Hoc igitur facto maiestati Principis in se consideratae nil detrahitur et nexus ligius inter gentes nil aliud efficit, quam foedus inaequale, hoc autem inter gentes iniri posse, supra §. III. et IV. demonstratum est. Afferamus igitur, nexus ligium potius inter eos dari posse, qui parte ab utraque maiestate gaudent; nam subditus destitutur iure belli contra imperantem; ideoque

que vasallum plene ligium contra principem suum habere non potest, eodemque modo subditus vasallus plene ligius alterius quam sui imperantis esse nequit, quoniam alio in casu hunc semper excipere deberet. Olim quidem Galliae tantam fuisse statuum potestatem, ut teste Molinaeo *a*), homines suos ligios contra ipsum regem habere potuerint, hunc autem abulum ideae bene ordinatae ciuitatis et iuri publico vniuersali repugnantem, ideoque nullum et postea plene extirpatum fuisse, rerum gestarum monumentis docemur.

- a) Illust. HELLFELD in I. F. Cap 10. §. 311. nota a. BOUCHE-TVUS dans les preuves de l' histoire de courtenay p. 32. IOH. IAC. GERKENROD dissent. de feudis ligii et non ligii.*
- b) CHOPPINIUS l. 3. de dominio tit. 12.*
- c) Vid. Illustris HELLFELD loc. cit. II. F. 28. et 99.*
- d) BRÜSSEL dans nouvel examen de l'usage general des Fiefs, T. I. Paris 1739. CVIACIVS de feudis Tit. 7.*
- e) CAR. MOLINAEV in Consuetud. Paris. art. 1. Glossa 5. verbo sic.*

§. XXXIII.

Exempla feudorum ligiorum inter gentes.

Non multa opera est nauanda, ut exempla ex rerum gestarum monumentis desumpta, ad probandam tententiam nostram quaeramus. Notum enim est, principes Galliae Belgicae, ligios fuisse homines Imp R. G. *a*). Deinde etiam Galliae Rex Franciscus I. ducatum Barensem Antonio duci Lotharingiae in feudum ligium concessit, quod et factum est sub Ludouico XIII Carolo duci Lotharing. eundem ducatum concedente *b*). Similiter reges Angliae ob Aquitaniam et Normandiam vasalli ligii erant Galliae regis *c*). Philipus archidux Austriae et dux Burgundiae uestitus est Atrebatii nomine Ludouici XII. a Guidone a Rochedort cancellario Galliae, ob comitatum Flandriae et Artefiae, eidemque

E 2

regi

36 DISSERT. DE NEXV FEVD. INTER GENTES.

regi sub nexu ligio obstringebatur d). Sic etiam Rex Angliae Henricus II ligium sibi effecit Guilielmum Scotiae regem, quod et sub Richardo I. continuatum legimus e) et Hispania eiusmodi quoque generis vasallos habuit in Italia. Nam Philippus II Cosmo I. Florentiae duci 1557. ciuitatem Senensem cum territorio in feudum ligium concessit f). Tandem Clemens V. pontifex Romanus, quid Papa enim non imitatur, Robertum regem Siciliae vasallum suum ligium appellat g). Hoc de argumento plura profecto in medium proferre poteramus exempla, sed limites dissertationis academicae finem scribendi efflagitant.

- a) Vid. ALBERTVS ARGENTORAT. ad annum 1336. ubi — — nisi ab imperatore monerentur, cuius essent homines ligū — .
- b) Formula huius iusamenti videri potest apud THEOD. GOTHOFRE^{DM} DVM in Ceremonial de France Tom. II. p. 664 et 673. De formula ducatus Barensis et illius summo imperio, magna inter CHIFLETIVM et ELONDELLIVM vexabatur contentio, quorum ille pro iure imperii scriptis commentarium Lothariensem; hic vero pro Gallia eredit: Barrum Campano Francicum. Sed quid plura, dum Gallia est in possessione.
- c) Exemplum de Eduardo II. videatur apud DV CHESNE in Historia Francorum Scriptor. Tom. 5.
- d) THEOD GOTHOFREDVS l. c. PHILIPP. CAMERARIUS in medietate. bistor. centur. 2. cap. 59. Pere DANIEL Tom. 4. ad annum 1409.
- e) Diploma Henrici II. de 1174. vide apud RYMERVM in ab³. publ. Anglicanis Tom. I. et Diploma Richardi I. de 1194. ibidem.
- f) Tabulas clientelares Philippi II. erudit IOH. DAN. GEVEBERIVS Halae 1722. et IENICHEM in Thesauro Iuris feudalis Tom. 2. pag. 989.
- g) BILDERBECKS deutscher Reichs-Staat Pte 4. Cap. I. §. 23. et Clementis V. Capitol. pastoral. de Sentent, et re iudic:

T A N T V M.

* * *

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
LVDOV. HARTMANNO RISCHMANN
AMICO AESTVMATISSIMO
S. P. D.

IVSTVS CHRISTIAN. LVD. DE SCHELLWITZ

IVRIVM D. ET. P. P.

Annus est, QUOTE, VIR PRAENOBILISSIME, proprius cognitus et T E iustissimis ex causis plurimi feci. Semper enim indefesse non modo frequentasti celeberrimorum virorum scholas, sed mihi quoque, ius publicum germanicum et summorum imperii tribunalium procellum explicanti, individus haesisti comes. Tandem quoque ex colloquiis, quae saepius T E cum priuatum habere licuit, non sine summa animi voluntate intellexi, solidam eruditionem T E acquisuisse. Iam ante redditum in patriam, e cathedra elegantem dissertationem defensurus, quod mihi opponentis minus benignè conferre volueris, nouum id que gratissimum humanitatis et amicitiae TVAE erga me plane singularis argumentum est. Omnia, quae suscipis ex voto TIBI succedant resque publica diutissime fruatur commodis, quae ex T E ad illam redundabunt. Vale VIR PRAENOBILISSIME! meque TVI studiosissimum in posterum quoque constanti amore complecti haud deditnare. Scribebam Ienae die XVIII

Martii A. R. S. MDCCCLXVIII.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

R E S P O N D E N T I

S. D. P.

O M I N I S T R A M A I M A C O M M U N I C A T I O N E
P R A E S E S

Eruditionem TVAM, indefessa ac singulari diligentia laudabiliter TIBI adquisitam, dudum miratus, insigniter gaudeo, TE ex alma nostra Salana laetissimis fructibus locupletatum discendentem, memoriae TVAE, firmissima posse voluisse monumenta. Gratulor igitur TIBI de praestantissimo illo specimine quod iamiam publice edidisti; gratulor patriae TVAE de viro illo, egregiis animi dotibus et praeclera in iure scientia cumulato; gratulor autem simul mihi ipso, dum, meo sub praefidio, dissertationem TVAM eruditorum examini submittere volui. Caeterum opto, ut debitos TIBI et gratissimos inde carpere possis fructus; ego vero TVAE benevolentiae TVAEQVE amicitiae de meliore modo me commendo. Vale. Dabam e museo d. xviii.

Martii A. O. R. CCCCLXVIII.

E 3

VIRO

* * *

MONSIEUR

Vous allez convaincre le public des grands progrès, que vous avez faits dans la Iurisprudence et l' Histoire. Agréez donc, MONSIEUR, que je vous en fasse mon compliment avec la même sincérité, que j' ai taché d'avoir pendant le temps de notre commerce. Puisiez VOU^S recueillir bientôt les fruits de vos études et parvenir à des dignités qui ne doivent être que la récompense du vrai mérite. Je vous demande en même temps la continuation de VOTRE chère amitié, et suis avec un attachement inviolable.

MONSIEUR

à Iena
le 17me Mars
1768.

Votre tréshumble Serviteur

ADAM IEAN NOTTBECK
de Reval en Esthonia

Etudiant en droit et membre ordinaire de
la Société ducale allemande de Iena.
Opposant.

VIRO

* * * * *

PRAE- R I T E M

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

opere et studioq; LVRII CANDIDATO

LVDOVICO HARTMAN. RISCHMANN

AVGVSTVS GVILIELM. STVDEMUND

sed a tuncq; MEGAPOLIT. OPPONENS.

Aamicitiae foedus, quo arctius est, quod TECUM, amicorum carissime, in hac Musarum sede inire mihi datum fuit; et maius laetandi argumentum, hic mihi dies praebet exoptatissimus, quo publice TVAE alacritatis ingenii et maximarum animi dotium specimen admirari possum. Certo velim, certius credas, me praecipuum in iis obtinere locum, qui haec laborum TVORVM tam merita præmia TIBI gratulantur; qui faustis TE persequuntur omnibus TIBIQUE, ut omnia ex voto atque animi succedant sententia, optant. Si quid praeterea in votis est, hoc sane erit, ut numen diuinum in TE benignissimum, saluum TE ad patrios lares reducat, reductumque conservet. Abcas igitur sed faustis auspiciis, et absens me amare pergas. Interim firmiter de me TIBI velim persuadreas, TVI memoriam amoreisque in TE meum, nunquam esse apud me interiturum. Vale mihi fareque! Dabam lenae d. XVII.

Mart. CCCCLXVIII.

ab amicis ordinem in rito de inauigatio
et ab obsequiis sicutus fuisse al
dico.

VIRIO

VIRO

* * *

41

VIRO PRAENOBILISSIMO SODALI HUMANISSIMO
AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS
DOCTISSIMO
LVDOVICO HARTMAN. RISCHMANN
BIPONTINO
S. P. D.

COLLEGIVM QVOD SVB AVSPICIIS ILLVSTRIS
WALCHII DISPV TATIONIRVS
IVRIDICIS VACAT

I N T E R P R E T E

C. L. PETERSEN L. L. C. BIPONTINO

Ambabus sane, vir doctissime, manibus hanc meae non minus
ac Collegit nostri candidae mentis agehdi interpretem occa-
sionis opportunitatem exoptatissimam laetissimam arripi. Exop-
tatissimam inquam; quid enim magis exoptatum nobis potuit ac-
cidere, quam dulcissimo **TIBI** in paucis amico, tantum gratulan-
do honorem non fucatis documenta edere amoris, quem sicuti lau-
datissimo **TVO** quo in hac Musarum alma sede legum scientiae in-
defessus dedisti operam, ardore: ita singulari vitae probitati mo-
rumque elegantiā dudum promeruisti? Laetissimam: quia clarissi-
mam ex instanti hoc certamine reportaturum te victoriam, tot
priuati conflitus, ex quibus nunquam sine triumpho re-
disti, tanquam bona omnia nobis non possunt non porten-
dere. Ulterius in laudes **TVAS** eslet quidem omnino, cur excur-
ram; at cum **TVAM** ne verecundiam plane singularem offendere
rem vereor, tum dissertatio haec satis superque euincit, quanto
studio id egeris ut quam de te concipit dulcissima patria spem non
modo non frustrares verum etiam superares. Gratulamur igitur
hac de te **TIBI**, gratulamur **TVIS**, gratulamur patriac, gra-
tulamur nobis. Rata si habebit, summum quod veneramur nu-
men

men, vota nostra, saluis semper et incolumis, hisque omnibus
quibus vita nostra felicitas censetur, largissime, maxatus, lae-
tissimus nunquam non industria atque virtutis fructus ubri-
mos capies. Ita vale, amice suauissime, nosque quod facis ama-
nostrosque in te animos eosdem semper futuros esse tibi per-
suade. Dab. Ienae d. xiiii. Mart. anno

COTTERIACIA DAB. IENAE 1573. LIBRARIUS

MARCIANUS DIBIA ALEXANDRIAS

CIT. FELICIS DIBIA ALEXANDRIAS

VIRO PRAENOBIILLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

R E S P O N D E N T I

S. P. D.

QVAE SVB

CONSULTISSIMO PRAESIDE FLORET

SOCIETAS DISPUTATORIA

INTERPRETE

IO. IACOBO ROECHLING BIPONTINO

IVRIVM CVLTORE.

Dici non potest, quanta voluptate iamiam adiciar, dum nomine *societatis nostrae disputatoria* munus congratulantis in me suscipientes,
meam erga te amicitiam publice tibi declarandi, optatissimam occa-
sionem nancifor. Idque eo magis deditissimum mihi est officium, quam
te hoc usque contubernalem coniunctissimum mihi in delicia habere;
et eruditione tua in dies magis magisque efflorescente, vehementer
gauderem, tu autem tenerim *tua* amicitia me semper dignum iudi-
care. Quemadmodum autem me tibi his litteris deditissimum signi-
fico, ita nomine *societatis* tibi non solum de praestantia tua gratulor,
sed etiam simul debitas gratias ago, quod huc usque munere eius qui nobis
ab epistolis est, fungi volueris, teque semper tam praebeatis socium,
qualem postulat bene ordinata societas. Viuis igitur sociosue et in
postrem ames, de me autem persuadeas tibi velim, quod nullo noa
tempore tui sim amantisimus. Dabam Ienae d. xvii. Mart.

ULB Halle
004 526 880

3



Sb

KD78



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSE⁹TATIO IVRIS GENTIVM

DE

NEXV F E V D A L I INTER GENTES

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

P R A E S I D E

HENRICO GODOFREDO
SCHEIDEMANTEL

IVRIVM DOCTORE

IN HAC ALMA SALANA ET SOCIETATI LATINAЕ QVAE IENAE
FLORET AB EPISTOLIS PRIORE FAVTORE AC PRAECEPTO-
RE SVO MAXIME DEVENERANDO

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTENS

HORA ET LOCO CONSVETO

D. XVIII. MART. A. O. R. CIOCCCLXVIII.

P VBLICE DEFENDET

AVCTOR

LVDOVICVS HARTMANNVS RISCHMANN

BIPONTINVS

IVRIVM ET PHILOS. CVLTOR

I E N A E

L I T T E R I S S T R A V S S I I

CIOCCCLXVIII

